



**R.P. Francisci Svarez Granatensis E Societate Iesv  
Doctoris Theologi, Et In Conimbricensi Academia Primarij  
at[que] Emeriti olim Professoris Tractatvs Qvinqve, Ad  
Primam Secvndae D. Thomae**

**Suárez, Francisco**

**Mogvntiae, 1629**

2. Vtrum actus interior voluntatis sit formaliter bonus, vel tantum  
causaliter ab actu externo.
- 

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94065)

Corinth. 7. Qui uxorem ducit, non peccat: qui autem seruat virginitatem, melius facit, Marci 14 Bonum opus operata est in me, & Iob sæpe reperitur, in his non peccavit Iob, vt notauit Greg. 2. moral. c. 15. Hinc etiam in scriptura præcipiuntur, & consulantur, & laudantur humana opera eorundem hominum: non autem præcipiuntur, nec laudantur mala opera. Vnde Matth. 15. ait Christus Dominus, sic luceat lux vestra, vt videant opera vestra bona, &c. & 1. ad Corin. 4. dicitur, Nolite peccare, &c. 2. Petri 1. Hoc autem facietis non peccabitur: & alia sunt frequentia. Vnde Cyril. in Ioan. c. 330. notat cum Christus dixit paralytico Ioan. 5. Noli peccare, satis docuisse posse hominem recte & honeste operari, quod etiam tractat Bernard. lib. 6. de præcepto, & dispensatione. Denique hæc de causa laudantur vita & actus multorum hominum in scriptura, vt constat de Abraham, Iob, & aliis, qui breuiter numerantur ad Hebr. 11. & Ecclesiast. 44. est ergo hæc veritas euidens in scriptura.

IV. *Item ex Concil.* Secundo propter hanc causam definita est præsertim in Concil. Trid. sess. 6. can. 7. 15. & 26. & Leo X. damnauit Lutheranam hæresim. Antiquiora vero Concilia de hoc expresse non tractant, quia nondum erat exorta hæresis, tamen id aperte supponunt, præsertim contra Pelagium definiunt posse hominem bene operari saltem per auxilium gratiæ, vt patet ex Mileuit. c. 3. & Araus. II. præsertim c. 21. 22. & 27. Et eodem modo inueniuntur multa testimonia Patrum scribentium contra Pelag. præsertim Aug. & Hieronymi, de quibus legi possunt Rossensis art. 31. & 32. contra Luth. & Vega lib. 11. super Trident. c. 24. Ratio est fere eadem quæ adducta est num. 2. in priori sensu questionis: nam etiam homo lapsus potest sufficienter ratione vti ad discernendum inter bonum & malum, nam si hoc non potest, nec humanam actionem efficere potest: stultum est autem dicere hoc non posse, quia habet integras vires naturales voluntatis & intellectus, & non semper à sensibus impeditur: vnde in discursu & ratiocinatione naturali tantum potest, quantum si absque peccato & gratia in pura natura esset conditus, & tamen ultra hoc habet nunc vires & illustrationes gratiæ: ergo quantum est ex parte intellectus, habet quicquid sufficit ad bene operandum, sed ex parte etiam voluntatis habet libertatem naturalem, vt in superioribus ostensum est agendo de voluntario: & similiter habet etiam vires gratiæ præuenientis, & adiuantis: nihil ergo in hoc statu illi deest quominus possit bene operari.

V. *Ad fundamenta hereticorum in num. 1.* Præterea fundamenta hereticorum sunt falsa, nam illo præcepto, diliges Dominum Deum tuum, nihil impossibile homini lapsus præcipitur, sed substantia illius præcepti est vt Deum super omnia diligat, quod potest homo in hac vita præstare: non est autem necesse, vt vel maxima intentione diligat, neque vt perpetuo ac semper, neque vt omnia alia actio ab hoc amore procedat, sed solum vt illi non repugnet, vt iterum dicemus: hæc autem dilectio possibilis est homini in hac vita: sic enim v. Ioan. 2. dicitur, Qui seruat præcepta eius, vere in hoc charitas Dei perfecta est, & eodem modo Dauid, & alij sancti in scriptura dicuntur quæsiisse Deum in toto corde suo, Psalm. 118. similiter præcepto non concupiscendi, non sunt prohibiti naturales motus, sed quod est in hominis potestate: quodque alibi dictum est, post concupiscentias tuas nec eas, nihil enim præceptum homini est impossibile: alias vel saluari non posset, vel sine obseruatione mandatorum saluari posset, contra illud Matth. 19. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.

Ad testimonia autem Scripturarum, tria breuiter dicenda sunt. Primum frequenter in eis locis sermonem esse de personis, & eorum viuendi ratione, non de singulis actibus: licet enim homines quantumuis iusti multa bona faciant, tamen tot mala & peccata intermiscant vt merito dicantur iustitiam eorum sicut pannus menstruata, in quo licet plures sint maculae, aliquid potest esse mundum: & hunc sensum significauit Iob illis verbis, Si innocentem me ostendero, prauum me comprobabit, quod alibi dixit Ioan. Si dixerimus, quia peccatum non habemus, mentimur, &c. & eodem fere sensu loquitur Greg. vt videre est apud eundem loco cit. cap. 2. 6. & 8.

VI. *Ad loca Scripturae prima pars responsionis.*

Secundum est, etiam loquendo de personis sæpe loqui Scripturam per quandam exaggerationem, præsertim quando loquitur de prauis & corruptis hominibus, in quibus tot sunt mala & peccata, vt licet interdum aliquid faciant boni, quasi nihil reputetur: quod maxime verum habet de iis qui de suis viribus & meritis præsumunt, de quibus potissimum videtur esse sermo in prædictis locis Iob: & de iisdem etiam loquitur Gregor. Est autem similis ratio de hominibus carnalibus, de quibus fit sermo Genes. 6. & sic de aliis. Addi potest ex D. August. lib. de vni. Eccles. cap. 2. interdum esse tantam multitudinem prauorum hominum, vt Scriptura loquens de tota communitate ita loquatur, ac si nullus in ea esset qui bene operaretur: & hoc modo ait Aug. nõ obesse iustis in medio impiorum constitutis, quicquid in ipsos ob multitudinem impiorum dicitur: plerumque enim sermo diuinus hominum impiorum turbas ita arguit, ac si omnes tales essent: & similem regulam præbet Hier. epist. 140. ad Damasc. de filio prodigo.

VII. *2. Pars.*

Tertium est, etiam loquendo de singulis actibus comparatiua quadam & metaphorica locutione: dici posse non esse in eis puritatem, si cum diuina puritate & iustitia comparatur: sicut dicitur Angelus materialis ad Deum comparatus, vel sicut dicitur, Nemo bonus nisi solus Deus, Matt. 19. quem locum ad hoc propositum bene ibi tractat Origen. homil. 8. vel sicut Ioannes Baptista dicitur lucerna, & lux, sicut & Apostoli Matth. 5. dicuntur lux mundi: & tamen comparatione facta ad Christum dicitur de Baptista Ioan. 1. Non erat ille lux, vt bene ibi Theophyl. ponderauit: atque hoc modo facile erit seruata proportione ad singula loca hoc applicare.

VIII. *3. Pars.*

SECTIO II.

*Virum actus interior voluntatis sit formaliter bonus, vel solum causaliter ab actu exteriori.*

CVm constet dari actum humanum bonum, & actus humanus ex interiori & exteriori componi possit, & vterque bonus denominetur, videndum consequenter est an bonitas illa, à qua actus voluntatis denominatur bonus, sit in ipso formaliter, ita vt ipsum intrinsece efficiat, vel sit tantum in exteriori, & inde denominet interiori actum, & consequenter interior actus dicatur bonus, quia est causa exterioris actus boni, quod est esse bonum causaliter non formaliter: Ita enim de interioris actus bonitate sentit videtur Caiet. 1. 2. q. 20. artic. 2. resp. ad 2. Idque explicat exemplo sanitatis, & medicinæ, nam sanitas est in animali formaliter, & tamen medicinam, à qua efficienter dimanat, denominat sanum causaliter.

saliter: Sic ergo [inquit] una est bonitas ex obiecto in actu exteriori & in interiori, tamen in exteriori est formaliter, & manat efficienter ab interiori quem denominat causaliter: vnde non videtur Caeteran. hanc doctrinam vniuersaliter tradere de omni actu interiori, sed solum de illo, qui est bonus ex obiecto, non vero de illo, qui est bonus tantum ex fine extrinseco, vt colligi potest ex eodem *ibidem* *dub. 4.* Fundamentum huius opinionis solum esse potest, quia ideo actus interior est bonus, quia efficit actum exteriorem bonum: & hoc sufficit ad bonitatem eius: ergo non oportet in illo aliam bonitatem multiplicare. Confirmatur, nam in illo actu est bonitas, qui per se praecipitur, vt actus eleemosynae, v.g. interior vero solum quatenus potest esse necessarius ad causandum illum actum: ergo ille solum denominatur bonus ob hanc causalitatem.

II.  
Notatio triplicis generis actuum inuenitur.

Hae tamen opinio, mea sententia, nullo modo defendi potest nec generaliter, nec in particulari de aliquo actu interiori. Aduertendum igitur inter actus internos quosdam versari circa obiecta quae non sunt actus hominis, sed res alię, vt amor Dei, amor vitæ: alios versari circa actus humanos, quos respiciunt vt obiecta sua: & hi etiam possunt esse duplices: quidam qui non habent necessario coniunctam actualem causalitatem talium actuum, vt est simplex amor, seu coplacentia circa eleemosynas: & in hoc ordine poni possunt omnes actus qui ex parte obiecti habent aliquam vniuersalitatem, vel ex parte circumstantiarum abstrahunt ab actuali executione, vt est propositum dandi eleemosynam, vel propositum ieiunandi eras: alii vero sunt qui habent necessario coniunctam executionem, vt est actus qui est per modum vsus actiui, scilicet voluntas qua hic & nunc ita volo dare eleemosynam, vt ex vi illius statim moueam manum ad exequendum.

III.  
1. Assertio pro primo genere actuum interiorum.

Primo ergo de primis actibus qui versantur circa obiecta quae non sunt actus humani, certa res est non posse esse causaliter bonos, sed formaliter. Patet, quia nihil causant, per se loquendo. Item amor Dei, v.g. est bonus, non a bonitate quae est in obiecto: ergo ab alia, a qua ipse denominatur intrinsece & formaliter bonus. Minor patet, quia licet actus sumat conditionem, vel speciem suam ab obiecto, non tamen tanquam a forma per se ac formaliter denominante actum, sed tanquam a termino illius habitudinis, quae est in ipso actu, per quam talis denominatur: idem est de amore Dei, & de quocumque alio actu tendente in obiectum bonum simile.

IV.  
2. Assertio pro secundo genere actuum.

Secundo de omnibus actibus internis qui etiam versantur circa actus externos vt obiecta, ita tamen vt illum actum non causent, certum etiam est non denominari bonos causaliter a bonitate actus externi, sed a propria bonitate quae est in ipsis per habitudinem ad talem actum, seu obiecta. Hoc etiam constat, quia illi actus sunt actu boni quando actu non causant: ergo iam rursus est eorum bonitas: bonitas autem exterioris actus tunc non fit ab actu interiori, neque est in re, sed in apprehensione; tantum ergo actus interior non est bonus formaliter ab illa bonitate. Dices, interdum posse aliquid denominari a forma non existenti, solum quia est causatum illius, vt patet de medicina, quae dicitur sana priusquam effectiue sanet. Respondetur primo in actu interiori, de quo agimus, necessarium non esse non solum vt actu causet, verum etiam neq. esse effectuum actus exterioris: potest enim esse simplex complacentia, vel delectatio cum propo-

sito nihil exterius operandi. Deinde etiam si deus esse effectuum exterioris actus, non ideo tamen bonus est interior actus, quia est effectiuus exterioris, sed potius e contrario, quia bonus est, ideo est effectiuus, siue excitans ad actum exteriorem bonum, vt magis ex dicendis constabit. Denique quando res denominatur analogice talis a forma extrinseca, & non existente, reuera realiter, & in se, non est simpliciter talis, qualis formaliter potest constitui res aliqua per illam formam actu existentem & informantem: vero hic actus interior, de quo agimus, statim ac existit, est in se & realiter bonus, adeo vt reddat bonum, habentem, & formaliter ac realiter rectum seu studiosum: ergo est bonus in se reali aliqua bonitate, & non per bonitatem actus exterioris apprehensi.

Tertio hinc concluditur etiam illum actum interiorum, qui actu necessario causat exteriorem, non denominari bonum tantum causaliter a bonitate actus exterioris, sed formaliter a bonitate quam in se habet per habitudinem ad actum exteriorem: atque ita in vniuersum omnis actus interior habet bonitatem in se ipso, vel saltem per denominationem ab aliquo actu interiori, & non ab exteriori. Quae sententia, vt existimo, est communis omnium Theologorum, & sumitur ex D. Thoma 1.2. *quest. 20. praeteritum articulo 3. & 4. cont. Gent. cap. 10. & ibi Ferrar. & ex aliis Theologis in 2. distinct. 42. vbi Bonauent. & Richard. articulo primo, quest. 1. Durand. q. 1. Gabr. art. 1. & 2. Ocham in 3. q. 10. & quodlib. q. 20. & quodlib. 13. q. 41. Ratio in primis sumi potest ex dictis, nam sicut actus interior non causans exteriorem bonum, si versetur circa obiectum bonum, inde habet in se bonitatem: ita actus interior causans exteriorem, respicit illum vt obiectum, quia necesse est omnem actum internum habere aliquod obiectum: hic autem nullum est aliud: ergo etiam hic actus habet per habitudinem ad suum obiectum suam in se bonitatem formalem. Probatur consequentia, tum quia est eadem ratio: tum etiam, quia causalitas subsequens non potest priorem habitudinem impedire, praesertim quia haec causalitas est posterior, & supponit priorem bonitatem, seu habitudinem ad actum vt ad obiectum, sicut prius est esse, quam causare illum, ideo enim causat illum, quia vult illum, & tamen ex vi primae & essentialis habitudinis, quam habet praesens ex hoc quod est actus circa tale obiectum, est rectus & studiosus: tum denique, quia si per possibile, vel impossibile contingeret actum exteriorem non sequi, v.g. Deo non concurrente, eandem omnino bonitatem haberet ille actus interior. Quod etiam confirmari potest ex actibus ipsis interioribus inter se comparatis, nam amor est causa desiderii, vel intentionis, & intentio electionis, & tamen nullus dicere potest actum qui est causa, esse bonum a suo effectu: sed si interdum vnus potest denominari ab alio, potius effectus denominatur a causa, seu actus imperatus ab imperante, quam e contrario, vt infra videbimus: qua ratione etiam actus exterior vt actus denominatur bonus ab interiori, loquendo de bonitate formali, vt nunc loquimur. Vnde etiam fit, vt voluntas non agendi exterius, sit interdum formaliter & positue bona, cum tamen in carentia illa exterioris actus nulla sit propria, formalis, ac positua bonitas. Tandem actus interior per id quod in se est, habet eam perfectionem, ratione cuius potest constituere operantem bonum, quam perfectionem non habet in se actus exterior. Cuius signum est quia actus interior per se solus sufficit ad constituendum hominem formaliter bonum*

V.  
3. Assertio pro 3. genere actuum.

num, nou vero exterior, vt suo loco dicemus, & statim etiam indicabimus.

VI. Neque existimo Caietanum omnino sensisse contra predictam doctrinam, nam illa q. 20. art. 3. docet bonitatem q. a. m. interior actus habet ab exteriori vt ab obiecto, seu sine intrinseco suo, non esse denominationem extrinsecam ab actu exteriori, sed esse aliquid in ipsomet actu interiori: quod optime probat à simili ex voluntate alterius finis honesti, qui non fit actus humanus. Addit tamen Caietanus quippiam, in quo fundat multa dubia, quæ in illis articulis obscurissime tractat, quæ reuera nõ erant necessaria, nec nituntur solido fundamento. Dicit ergo actum interiorem, qui est intrinsece & in se bonus ab actu exteriori vt obiecto, posse etiam denominari extrinsece bonum ab eodem actu exteriori vt actus est, & in hoc differre talem actum internum, qui est causa exterioris, ab eo qui non est causa. Sed hic modus denominationis solum videtur excogitatus ad agendam rei difficultatem, quia reuera talis denominatio nõ est necessaria. Primum enim nulla causa denominatur proprie bona à suo effectu: deinde bonitas quam exterior actus habet ex se, non est bonitas formalis, sed obiectiua solum: ergo non potest denominare formaliter bonum actum internum, etiam extrinsece, sed ad summum denominare bonum obiectiue analogice, & secundum quid. Item actus exterior secundum suam bonitatem obiectiuam, non solum ab interiori bono, sed etiam à malo causari potest, nam actus elemofinæ exterior, etiam si à mala voluntate, vel intentione procedat, non amittit suam bonitatem obiectiuam, & tunc ille actus non dicitur bonus causaliter: ergo ex hac causalitate non sumitur talis denominatio.

VII. Ad fundamentum vero, in principio positum respondetur istam causalem, *actus interior est bonus quia exterior est bonus*, in eadem forma habere locum in omni actu interiori voluntatis respectu sui obiecti, vel finis: amor enim Dei est bonus, quia Deus est bonus, & sic de aliis: illa ergo causalitas non est vera in genere cause formalis proprie, sed tantum in genere cause obiectiue, seu finalis, quæ dici solet forma extrinseca per modum termini, & ideo non sequitur bonitatem quæ est in actu exteriori, vel generaliter in obiecto, denominare actum formaliter bonum, sed ad summum bonitatem actus interioris sumi ex ordine ad bonitatem obiecti, seu finis, & circumstantiarum, vt sigillatim inferius dicemus.

### SECTIO III.

#### Quid sit hæc bonitas formalis & moralis in actu interno.

I. Prima sententia est, bonitatem hanc nihil esse præter collectionem omnium circumstantiarum, seu conditionum, quæ secundum rectam rationem necessariae sunt vt actus interior simpliciter & absolute denominetur bonus. Refertur pro hac sententia Scotus in 2. d. 40. quo loco eam declarat per proportionem ad bonitatem naturalem vniuscuiusque rei, quæ nihil aliud est quam collectio perfectionum omnium quæ tali rei iuxta naturam eius, debentur. Quomodo etiam D. Thomas 1. 2. q. 18. art. 1. videtur explicare bonitatem actus moralis, scilicet per hoc quod habeat plenitudinem essendi: sic ergo in actu voluntatis plenitudo eius confurgit ex hoc quod habeat obiectum, & omnes circumstantias sibi debitas: vnde si hæc omnia habeat, est bonus, si

aliquo istorum caret, est malus: signum ergo est bonitatem eius in hac integritate, seu collectione consistere.

Hæc tamen opinio vel falsa est, vel improprie & insufficienter explicat quod inquirimus. Duo enim modis intelligi potest collectio obiecti & circumstantiarum esse bonitatem actus voluntatis: primo formaliter: quo sensu est plane falsum, quia, vt paulo antea dicebam, obiectum non est forma efficiens formaliter actum voluntatis, sed est, vel causa extrinseca finalis, vel terminus habitudinis actus ad ipsum: eadem autem ratio est de circumstantiis, quia hæc non conferunt propriam bonitatem & honestatem actui interiori: nisi quatenus sunt aliquo modo volitæ, atque adeo quatenus aliquo modo participant rationem obiecti: ergo per se non formaliter efficiunt actum, sed sunt tantum causa alicuius habitudinis actus ad ipsam: loquor autem de circumstantiis obiecti, nam de aliis quæ circumstant ipsam actum secundum se est alia ratio, vt videbimus. Secundo modo posset hæc sententia intelligi causaliter, & ita est impropria locutio, quia bonitas non est collectio obiecti & circumstantiarum, sed resultat, seu oritur ex obiecto & sine debitis circumstantiis affecto: & hic sensus est verus, vt postea videbimus, sed non sufficiens ad rem, de qua agimus, explicandam, quia non inquirimus vnde oriatur bonitas, sed quid in se sit.

Secunda sententia est, hanc bonitatem consistere in conformitate ad legem: quam indicant aliqui auctores statim citandi. Et potest in hunc modum suaderi, nam quidquid habeat actus voluntatis seclusa hac conformitate, nõ est bonus, quia posita est bonus: ergo signum est hanc bonitatem in hac conformitate consistere. Antecedentem pater, nam etiam ipse amor Dei, qui videtur maxime bonus per se, si fiat contra præceptum, vt, v. g. si Deus mihi nunc prohiberet ne exercerem amorem eius, & nihilominus ego amarem, ille amor esset malus hic & nunc, quia non est conformis legi: vnde etiam fit vt idem actus per solam mutationem legis fiat de bono malus, vel è contra, manens immutatus in aliis omnibus, vt si quis velit comedere carnes nunc tempore prohibito, illa volitio est mala: si autem tollatur prohibitio, poterit esse bona: ergo signum est totam bonitatem esse in prædicta conformitate. Confirmatur tandem, quia hæc conformitas, aliqua bonitas est, & est propria actus moralis vt moralis est, imo sola videtur illi propria, nam si qua alia bonitas reperiri potest in actu interiori, illa poterit esse in illo, etiam si liber non sit, vt in actu amoris Dei reperitur tota illa rectitudo quæ intelligi potest in ordine ad obiectum, etiam si necessario fiat, & moralis non fit: conformitas autem ad legem non potest esse nisi in actu morali, quia nullus alius potest cadere sub præceptum: ergo illa conformitas est propria omnino bonitas moralis.

Hæc sententia dupliciter potest intelligi, primo de conformitate quasi fundamentali, seu ex parte obiecti, ita vt ille actus dicatur conformis legi, quia tendit in tale obiectum, quale est præscriptum à lege, aut quia tendit in ipsam conformitatem cum lege tanquam in quoddam obiectum bonum. Et hic sensus licet non sit formalis & proprius, est tamen verus, quamuis non eodem modo ad omnem bonitatem possit applicari, vt ex dicendis constabit, nam in hoc sensu hæc sententia coincidit cum nostra, vel est quedam pars illius: non est autem hic sensus intentus ab autoribus huius sententiæ.

Secundo

II.

III.

2. Sententia

IV.

Huius sententia sensus vnus expeditur.